

56.

Quod Deus optimum fecit
DISPUTATIO JURIDICA

de
**LEGITIMATI-
ONE**

Quam
Auctoritate & Permissu Magnifici Amplissimiq; Collegij
Juridici in Illustri Leucorea
PRÆSIDE

Viro Nobilissimo Amplissimo, Consultissimo & Excellentissimo
DN. HEINRICO COSELIO
de Pezlinovez J. U. D. & P. P. Celeberrimo, Curia
Electoralis Scabinatus & Facultatis Juridicae Assessore gravis-
simo, & h. t. Decano Spectabili, Praeceptore atq; Patro-
no suo submisso animi cultu devenerando

Publicae disquisitioni subjicit
CASPAR SOMMER Budissinus
Lusatius,

Ad diem 7 Decembr.
In Auditorio Jctorum
horis antemeridianis.

WITTEBERGÆ
Literis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.
Anno 1653.



DISPUTATIO JURIDICA

BEGETIMATI

Abhandlung über die

PRÄSIDIUM

ENRICO GOSSELIO

Abhandlung über die

PRÄSIDIUM

Abhandlung über die

PRÄSIDIUM

Abhandlung über die

PRÄSIDIUM

Abhandlung über die

PRÄSIDIUM

Abhandlung über die

PRÄSIDIUM

Abhandlung über die

PRÄSIDIUM

Abhandlung über die

PRÄSIDIUM

Abhandlung über die

PRÄSIDIUM





In Nomine Domine nostri Jesu Christi ad
omnes actus omniaq; consilia semper pro-
gredimur *l. C. 2. offic. Praef. Prat. Afr.*

Th. I.

A B initio omnium sicut æqualis
fuit libertatis status, ortu vero bellorum
servitus alienæ libidinis fecit mancipia,
idq; contra naturam factum § 2. *de J. N.*
G. & C. Nec enim dubium est, inquit
Steph. Forcatul. ad Rubr. D. de Servitut. n. 1. quin omnes
Homines natura æquabilis parens à principio liberos
genuerit: Sic etiam legitimos omnes procreavit natura,
ad concupiscentiam vero postquam itum est, naturales
effecit *N. 74. c. 1. N. 89. c. 9.* Cum autem publice intersit
Rempubicam legitimis civibus abundare ne in incerto
essent familiæ, modum Jus civile excogitavit quo liberi
naturales legitimi efficerentur, quem à legitimando Le-
gitimationem dixerunt Juris Interpretes.

Th. 2. Antequam vero ulterius progrediamur
in Homonymiam vocis merito inquiremus. Duplici-
ter autem sumitur I. pro legitimacione personæ ex Ju-
stis nuptiis alias procreatæ in Judicio uti accipit *Carpzov.*
in Jurispr. Foren Rom. Sax. p. 1. con. 1. def. 26. n. 1. quod
semper præcedere tenetur *Idem in Respons. Elector. lib. 3.*
tit. 1. resp. 10. n. 1. quia est de Substantialibus Judicii *Bald.*

A 2

inl.

in l. exigendi 12. n. 4. C. de Procur. etiam summarii ne fiat elusorium non præcedente necessaria hac personarum legitimatione *Menoch. de recup. poss. rem 15. n. 272.* plura habet *Zangerus in tr. de Except. p. 2 c. 8 n. 2 II.* Sumitur pro Παλιγγενεσία, idq; rursus bifariam aliter enim sumitur pro ingenuitatis, ut videre est *extt. D. de Nat. al. Restit.* aliter pro legitimæ nativitatis, restitutione, quam acceptionem in præsentiarum nostram facimus.

Th. 3. Definiur Legitimatio quod sit actus legitimus quo liberi naturales legitimi efficiuntur *Schultz. in Synops. Inst. tit. de Nupt.*

Th. 4. Objectum itaq; legitimationis sunt liberi naturales, non uti accipiuntur in *§. tam autem. 2. I. de inoff. Testam. l. Senatoris. de Senator.* non etiam uti in *l. Lucius 88. D. de Legat. 2 aut l. ult. D. de his qui sui vel alieni juris,* sed eâ significatione quam tradit Sacratiss. Imperator in *§. ult. J. de Nuptiis & tt. C. de Natural. Liberis & c.* Ubi Naturales dicuntur qui ex nullis penitus nuptiis Justis vel injustis sed ex quasi soluto legibus commercio naturali conjunctione ac velut conniventibus legum lato-ribus nati sunt, ut loquitur *Mynsing. §. fin. J. de Nupt.*

Th. 5. Triplex autem potissimum est Legitima- tio. Primo per subsequens matrimonium *§. fin. J. d. t.* Secundo per oblationem Curia *§. eod.* Tertio per rescri- ptum Principis *N. 74. c. 2. N. 89. c. 9.*

Th. 6. Legitimatio per subsequens matrimoni- um fit, cum quis matrem filiorum naturalium in uxorem ducit, *§. fin. J. de Nupt. §. 2. J. de Heredit. qua ab Intest. defer. l. cum qui 10. C. de Lib. Natur.* Tunc enim non tantum ex isto matrimonio, sed etiam ante matrimonium nati fiunt legitimi *d. §. fin.* Et hic modus reliquis est perfecti

perfectior *Hieronimus Schurpfius cent. 1. consil. 1 n. 20. eamq;*
de jure divino esse tradit, ita ut etiam Papa non possit
statuere, quod filius antea natus non legitimetur per
subsequens matrimonium *Idem Cent. 2. consil. 56. n. 4. de*
quo recte dicitur quod subsequens matrimonium omni
a vitia præcedentia purget. Hanc primum Con-
stantinus M. constituit *Sietmann in Nucl Juris Civil. ad tit. 7.*
de Nupt. Sutholt disert. 2. aph. 65. post Constantinum hoc
ipsum zeno Anatasius & Justinianus probarunt *l. Divi Con-*
stantini 6. l. jubemus 5. l. cum quis 10. C. de Natural. Lib. Bor-
ebolt. ad § fin. 7. d. t. Unde videmus modum istum legi-
timandi veteribus Jurisconsultis non fuisse notum vid.
Dn. Ungebaur. in Exercit. Just. 9. q. 6. in ajo, ad quam se-
quentia quæ tradit Schneidvvin. ad tit. I. de PP. ut concur-
rant necessum est.

Th 7. I. ut procreati sint ex muliere libera *§. fin.*
J. de Nup. de Jure enim civili inter liberum & ancillam
matrimonium est interdictum, nec verum est matri-
monium sed tantum contubernium *l. cum ancillis 3. C. de*
Incest. & Inutilib. nupt. Novissime tamen Justinianus be-
nignè constituit ut idem in ancillâ obtineat, si manu-
mittatur & uxor ducatur *N. 18. c. ult. N. 78. c. 3.* Secus est
de Jure Canonico quo permissum est libero homini sci-
enter ducere in uxore in ancillam uti est textus in *cap. 1.*
& 2. X. de conjug. Servor. II. ut ex tali nascatur muliere cum
quâ fas sit matrimonium contrahere, Non tantum de
honestate, ne sit turpis persona, quæ matrimonium de-
coloraret ut Baldi verbum est, verum etiam de Jure *We-*
sembec. consil. 44. n. 51. Nec consanguinitas obstat aut affi-
nitas: Eæ enim solæ in concubinato haberi possunt sine
metu criminis in quas stuprum non confertur. *l. 1. D. de*

Concubin. quæq; etiam uxores esse possunt *Myns. ad § fin 1. de Nupt.* Unde si vir vivente uxore aliam cognoscat & ex ea prolem suscipiat licet post mortem uxoris eandem duxerit nihilominus spurius erit filius & ab hereditate repellendus *c. tanta 6 X. qui filii sint legiti.* Intermedium tamen matrimonium non obstat ut si quis procreavit ex concubinâ filios, & postea ducat aliam conjugem quæ demum mortuâ contrahat matrimonium cum prædictâ concubinâ filii, antea ex eâ nati legitimantur non obstante matrimonio Intermedio *Schneidw. ad tit. I. d. PP. III.* Ut natus sit in concubinato ex muliere domi uxoris loco habita, unde natus ex muliere non concubinariâ non legitimabatur *Schneid. d. l.* Quod obtinet, de Jure civili ubi concubinatus erat permissus *vid. Sutholt. disp. d. Jurisd. th. 82.* Jus vero Canonicum discrepat in hoc *c. nemo c. meretrices 32. q. 4.* & hodierni mores *Reform. Der Pollicey ordnung zu Aulspurg de anno 1530. Tit. von Leichtfertiger beivohnung/* cum non solum concubinatus sed omnis extra matrimonium coitus prohibitus & reprobatus sit, ita ut nulli vere penes naturales reperiantur, (nisi defacto apud quosdam concubina retineatur) etiam spurii, tanquam ex illegitima & severa interdicta commixtione progeniti, legitimantur *Schult. in synops. Inst. tit. de Nuptiis lit. b. Dn. Jacob Schröter in disp. in augur. th 4.*

IV .Requiritur ut dotalia instrumenta interveniant, vulgo *Ehestiftung* oder *Heyrathbrieff* / *l. cum quis 10. C. de Naturalib. lib: § sui a. 2. I. de Hered. qua ab Intestato deferunt.* quæ & Nuptiales tabulas vocat *l. 9. C. de Nupt.* quamvis enim tabulæ non faciant matrimonium *l. donationes 31. pr. D. de Donat. l. neq; sine 13. C. de Nupt.* & ut
Qinti-

Quiutilianus ait quem Gothofredus in notis *ad d. l. 31.*
allegat, Nihil obstat quo minus Justum sit matrimo-
nium mente, etiam si tabulæ designatæ non fuerint: Ni-
hil enim prodest signasse tabulas si mentem matrimonij
fuisse non constat. Sunt tamen speciales casus in qui-
bus non aliter probatur matrimonium quam per In-
strumenta *l. Imperialis 23. C. d. Nupt. auth. sed novo Jure*
& authent. maximis deorati C. eod. sutholt. Disert. 2. aph.
65 Jure tamen canonico cui hoc in casu standum est
Mysing. ad § 1. I. de Hered. qua ab intestato. Instrumen-
ta dotalia non requiruntur, modo alias liquido constet
de Matrimonio *CC. comm. in cap. tanta 6. X. qui filij sint*
legitimi ubi simpliciter virtus matrimonij allegatur, ad
cujus substantialia dotale Instrumentum non requiri-
tur sed solus consensus *c. sufficiat 27. q. 2. Henricus à*
Stabenau & Woldenberg/ disp. 2. th. 9. litt. b. Idcirco si
juri civili derogatum in causa causante matrimonium,
videlicet quod sit matrimonium sine Instrumentis, est
etiam ei derogatum in causato, id est in ipsa legitimatio-
ne quæ etiam esse potest absq; instrumentis dotalibus
Schurpf. consil. 1. n. 15. Modo superveniat copula sacer-
dotalis coram facie Ecclesiæ publice celebrata, unde nu-
ptiarum celebratarum testimonium sufficientissimum
erit, quam expresse quoq; jus canonicum requirit *c. ali-*
ter c. nullus c. nostrates 30. q. 5. videatur Dn. Ungepaur.
disp. 3. q. 5. in nego, ubi consuetudine receptum est in
quibusdam Imperii locis, ut mater infantem in copula
sacerdotali brachiis impositum habeat, vel si majoris sit
ætatis puer, matrem vestitu teneat *Schultz. d. l.*

Th. 8. Tempus post susceptam sobolem matri-
monio contrahendo quo legitimatio perficiitur, certum
præfi-



præfinitum non est. & quocunq; tempore fieri potest, ita
ut dubium non sit, quin licet quis ultima patiatur, libe-
ros tamen naturales per matrimonium legitimare pos-
sit per *l. hoc genus 106. D. de Condit. & Demon.* ubi J Ctus
Julianus ait Hoc legatum si Titio non nupserit perinde
habendum esse ac si post mortem Titii legatum esset, quo
satis innuit & in agone constitutum nuptias contrahi
posse, si itaq; nuptiæ possunt fieri quid obstat quo minus
legitimatio? *Huunius lib. 1 variar. Resolut. tract. 3. q. 28.*
Non obstat quod dissentientes obvertant matrimonium
verum moribundum contrahere non posse, inhabilis
enim esset ad debitum reddendum æque ac puer cui eti-
am inter dictum est matrimonium *c. 2. X. de frigid. &
male.* Nec habere spem tollendæ sobolis quam requirit
l. ii. C. de Liber. Natur. Respondetur quippe matrimonium
valere sine concubitu cum intentione non coeundi per
c. beatamaria 27. q. 2. fidemq; conjugalem præponi cu-
piditati liberorum *Valer. Max. l. 2. c. 1. n. 4.* Neq; spes so-
bolis tollendæ hic deficit, legitimato enim filio novus
quasi efficitur *Cynus & Baldus in l. nuper ii. C. d. t.* Cum
quodammodo mortuus & in tenebris delitescens in lu-
cem civitatis Romanæ revocatur *Polen disp. 7. q. 8.* Præ-
terea quid prohibet sperare licet id quo speratum est
non semper ad affectum perveniat? *d. l.* Hisce omnibus
Maximus etiam legitimatiõnis favor addipotest *d. l.*

Th. 9. Nepos quoq; per Matrimonium avi legi-
timatur, puta Titius habuit Sejum filium naturalem, Se-
jus contrahit matrimonium & moritur relicto filio Ca-
jo, hic Cajus si avus Titius cum matre Seji matrimoni-
um contrahat, & avo suo nepos, suusq; heres efficitur. Fi-
lius enim in parentis sui prædefuncti locum succedit
omnia-

omniaq; Jura ipsi competunt § 2. *J. de Heredum qualitate*
& different. *Aur. Bul. subtit. von Succession und Nachkom-*
men der Churfürsten: est enim pars corporis ipsius *l.*
cum scimus 22. C. de Agricol. & censit. & colon. Ut igitur si Se-
jus supervixisset per matrimonium Titii effectus esset le-
gitimus patri heres, ita Cajus in locum ipsius sinitur *Scum*
filius J. de Hered. qua. ab intest. defer. Nec sententi-
am nostram evertit *de §. 2. qui*, ut Cajus heres fiat, Sejum
in potestate Titii aliquando fuisse requirit, ratio hæc esse
potest, Jus enim non competens non transmittitur ad
heredes ejus, etiam liberos *l. un. C. de His qui ante apert. tab.*
Sejus autem nunquam in potestate ipsius fuit, propte-
rea nec jus hoc ad Cajum transmittit: Respondetur, Li-
cet Sejus Jus succedendi non transmiserit in Cajum,
quod ipse vivente Titio in re non habebat, sed tantum in
spe, privilegium tamen sive beneficium competens fi-
lio transit ad ejus nepotem *l. milites 8. C. de Questionib. l.*
emancipatum 7. D. de Senatorib. Et ex hoc dicitur succe-
dere *Schurpf. cent. 2. Consil. 1. n. 15. in fin. & 23.*

Th. 10. Legitimi itaq; hoc modo per omnia & in o-
mnibus pro Justis, veris & legitimis libris habentur, nihilq;
differunt à liberis naturalibus & legitimis ex justo matri-
monio susceptis atq; procreatis *l. cum quis 10. C. de Nat. Lib.*
Treutl. & Schöpf. consil. 115. n. 4. Setzer. disp. 8. th. 3. Carpz. part. 2.
econst. 18. def. 17. n. 2. Gail. 2. obs. 141. ita ut etiam statuta de li-
beris legitimis loquentia, quantumvis strictè sint intelli-
genda, nihilo minus comprehendant liberos legitima-
tos imprimis per subsequens matrimonium *Berlich. p. 2.*
concl. 39. n. 18. Carpzov. p. 2. const. 6. def. 15. n. 7. Schurpf. cent. 1.
cons. 1. n. 18. Retrotrahitur enim matrimonium ad tem-
pus natiuitatis filiorum, omnemq; maculam purgat &
efficit ut ante matrimonium natus vere legitimus sit atq;

2

p 50



pro eo habeatur ac si ab initio legitime natus esset *c. tanta 6. ubi Dd. X. qui filii sint legit. Trentlerus & Schöpsius d. consil. n. 3.* Contractum enim videtur matrimonium ante natiuitatem filiorum, propterea etiam testimonium natalitium consequentur, quod ex thoro legitimo atq; honestis parentibus sint nati; Das sie von Christlichen Ehelichen frommen Zheluten aus einem rechten ehelichen/ unbesleckten/ ungetadelten Ehebette herkommen gezeuget und geboren. *Carpzov. 2 Decis. iiii. Praxi Crim. p. 2. q. 69. n. 53.* Et ita Lipsienses ad consultationem Hieron. otten. Risenwetters Mense Decembri anno 1622. responderunt. Nec hic attendimus textum in Landrecht *lib. 1 art 36. in verbis Wenn ein Mann ein Weib nimmet/ gewinnet sie Kinder ehe die rechte zeit kömmt do das Kind Geböhren werden möchte/ mag man es beschelten an seinen Rechten wen es früh geböhren ist/* Hic enim usu receptus non est & propterea non attendendus, Jus enim Saxonium non aliter valet quam usu & observantiâ confirmatum *Carpzov. p. 3 c. 11. defm. 13. in fin.*

Th. II. In feudis pro legitimè natis concessis an succedant legitimati per subsequens matrimonium, intricata & in utramq; partem satis disputata est quaestio: Affirmantium sententia nobis arridet secundum *Dd. communiter in c. un. vers. naturales 2. F. 26.* quos vide apud *Wesembec. in tr. de feudis c. 9.* Quis enim eum quem jus civile pronunciat legitimum à successione arcebit? Nihil siquidem legitimus ex justis nuptiis procreatus à legitimo per subsequens matrimonium differt. *per §. fin. J. de Nupt. & th. preced. Rüdinger. in Methodo Jur. Feud l. 1 c. 16. n. 25.* Nec obstat allegatum *c. un. vers. naturales* loquitur enim & intelligitur secundum *Dd. ut & Schurpf. cent. 1. cons. 1. n. 13. & Dn.*



Dn. Ungepaar. in Exer. Iust. 9 q. 6. in Nego Treutlerum consil. 115. n. 14. de legitimatis per rescriptum Principis, non autem per subsequens matrimonium, quod conjicere licet ex ultimis verbis, Nec soli nec cum aliis admittuntur: quia jure civili in legitimatis per rescriptum Principis ita distinguitur, utrum soli sint an vero cum legitimis concurrant. N. 89 e. illud tamen 9. §. c. generaliter 11. §. 1. Dn. Ungep. d. 1. Et similis fere casus occurrit in cap. cum in cunctis X. de Electione ubi dicit textus, quod nullus eligatur in Pontificem, nisi quem alter à trigesimo annus exceperit, & de legitimo matrimonio sit natus; & tamen natus ex soluto atq; soluta, & legitimatus deinde per subsequens matrimonium, secundum glossam communiter adprobatam in c. innotuit verbo conjugata tit. eod. potest eligi in Episcopum Hieron. Schurf. l. d. Carpzov. in Consist. lib. 2. tit. 14. def. 16. n. 11. Apertam quoq; rationem pro hac sententiâ refert Wesembec. consil. 43. n. 42. cum inquit: Sicut Vasalus ducendo uxorem & ex ea suscipiendo liberos, potest jus successionis feudalis quod agnati habent illis adimere & ad suos filios transferre, ita & ducendo uxorem antea cognitam, atq; ita liberos susceptos legitimando, idem efficere potest, Nam legitimatio talis omne tollit vitium conjugii præcedentis, perinde atq; si fornicatio non intervenisset, sed fuisset semper legitimum matrimonium & liberi ex eâ suscepti legitime atq; juste suscepti essent. c. tanta 6. X. qui filij sint legitimi. Et hæc opinio pro legitimatis in Camera est recepta atq; secundum eam decisum fuisse refert Mynsinger C. v. 0. 42. eamq; in praxi servandam nec in judicanda aut consulendo ab ea recedendum testatur Schurpf. d. l. Dissentit Berens disp. 1. tb. 5 q. 4. Carpzov. disp. feud. 5. tb. 34. & alii ad quorum.

argumenta respondet *Dn. Ungepaur d. disp. 9. in Nego.*

Et hoc dictum sit de primo legitimationis modo qui fit per subsequens matrimonium. Nunc & ad alterum progredimur.

Th. 12. Secundus legitimandis modus quem introduxit Imp. Theodosius *l. si quis C. de Natur. Lib.* confirmavit Leo *l. quoniam 4. C. d. t.* & explicavit Justinianus *N. 89. c. 2. Dn. Ungepaur d. d. in ajo,* fit per oblationem Curia, quando pater filium naturalem Curia offerebat, hoc est numero Decurionum qui in municipiis & coloniis consilii publici gratia conscribebantur, dicuntur Decuriones quod cum initio Colonia deducerentur, decima pars eorum qui conscribebantur, duci solita sit, *l. pupillus 239. § decuriones D. de V. S. vid. Sutholt. disert. de Juris dict. th. 222.* Horum munus quoniam admodum onerosum erat & per totum vitae tempus in eo servire tenebantur *l. 39. 43. 49. 50. C. de Decurionib. § c.* multi obire renuebant: Ne vero hac occasione Curia paulatim deficerent ac collaberentur, inter reliqua privilegia quae vide apud *Gothofred. in not. ad t. C. de Decurrionib. litt. e.* & hoc praedicti Imper. concesserunt, ut liberi naturales Curia civitatum dati, legitimi fierent, quo praemio plures alicerentur ad gubernandam Rempubl. sic enim propter aliorum penuriam necesse fuit spurios recipere *Mynsing. ad §. sui autem 2. J. de Hereditat. quae ab intestato deferunt. Borsholt. ad § ult. J. de Nupt.*

Th. 13. Non autem tantum inter vivos hac oblatio recte perficiebatur, sed & in testamento patri filium Curialem fieri oportere, licitum erat conscribere, vel ipse filius se offerebat mortuo patre *N. 89. c. 2.*

Th. 14. Eundem legitimandi modum obtinebant

bant etiam filia naturales, cum nempe Curialibus matrimonio collocabantur, ita ut etiam in hoc sicut in ceteris non exclusæ maneant, idem enim legitimationis favor in iisdem militat *l. ii. C. de Naturalib. Lib.*

Th. 15. Mutatâ tamen Reipubl. Rom. facie & obsoleto curiarum usu, hæc etiam legitimationis species cum lance & licio exolevit, ut nostris moribus in usu vix esse videatur, *Sietman. in Nucl. Jur. Civ. ad tit. J. de Nupt. Dn. Ungepaur. Disp. 9. q. 6. in ajo*, qua propter prolixius hæc vice tractare haud opus, obiter tantum & quasi intransitu attingere hic libuit, ne quid antiquitatis penitus ignoretur § *sed ut 1. J. de Testam. ordinad.* ad tertium itaq; nos convertimus.

Th. 16. Qui fit per rescriptum Principis, quando ad Instantiam patris naturalis legitimos filios princeps pronunciat. *Heinricus à Stabenau & Woldenberg disp. 2. th 9. litt. d.* Hunc introduxit Justinianus *N. 89. c. illud tamen 9. N. 74. c. 1. & 2.* Et debilior est illo qui fit per subsequens matrimonium *Carpz. p. 2. c. 6. def. 16. n. 2.* Competitq; Imperatori tanquam Regale majus *Schultz. in Synops. juris Feud. c. 8. n. 75. Bocerus in tr. de Investiturâ feudi c. 3. n. 97. in fin.* ita ut in dubium revocans sacrilegii crimen committat. *l. sacrilegii. C. de diversis rescriptis.*

Th. 17. Hanc autem legitimandi potestatem Imperator aliis etiam concedit, quos hodie Comites Palatinos, Comites Sacri Palatii Lateranensis, aulae Cæsareæ ac Consistorii Imperialis Germanicæ Hofgraffen appellamus *Heinricus à Stabenau & Woldenberg disp. 2. th 10. Carpzov. ad Leg. Reg. c. 10. sect. 10. n. 4.* Qui tamen ab illis Comitibus Palatinis, qui Imperii principes sunt multum differunt & longe inferiores sunt, unde respectu eorum ab-

sivi & improprii Comites Palatini (à Palatiis, id est sede Imper.) appellantur *Schultz. in Syn. Jur. Feud. c. 7. n. 67.* Hos sub Constantino ad inventos esse scribit *Gotthofred. ad l. un. C. de Profess. qui in urbe Constantinopol. &c.* Heredibus quoq; conceditur & Academiae ut Juliae in qua Rector Magnus hanc dignitate gaudet *Dn. D. Bechmann. disp. 2. ad disert. 2. Sutholti th. 24.*

Th. 18. Jura autem horum pro benigna facultate concedentis variare solent plerumq; , possunt tamen communiter creare Notarios, Tabelliones, legitimare spurios; Reliqua quae sunt, ut pote Nobilitare, Insignia concedere, minores, Ecclesias & communitates in integrum restituere & illas conservare, Doctores, Magistros & Poetas laureatos creare, Veniam aetatis concedere, Alienationibus minorum & alimentorum transactionibus autoritatem & decretum interponere, Tutores & curatores confirmare, Adoptionibus, arrogationibus & emancipationibus quibuscunq; omnium & singulorum, etiam infantium & adolescentium consentire, Concedere de novo, confirmare, renovare arma & insignia gentilitia & feudorum capaces facere atq; extollere &c. Haec omnia ex speciali beneficentia indulta esse oportet, quale privilegium Reimanni Seltrehten fuisse fertur, cujus tenorem quoad creandos Doctores, Licentiatos, Magistros, Baccalaureos, recensitum invenies apud *Carpzov. d. l. n. 22.*

Th. 19 Possunt quoq; Comites Palatini, alios quandoq; Comites Palatinos creare, idq; ex privilegio specialissimo, quale privilegium ab Imperatore. Carolo V. Gabrieli Comiti ab Ortenburg concessum fuit, quod refert Valentinus Jöpnerus in Testimonio Notarii, citante

tante Adamo Volkmann. in art. Not. p. 1. c. 1. Verba in
ipso contenta sunt sequentia: *Quod Inuictissimus & Sa-*
cratissimus Princeps Divus CAROLUS V. Romanorum Impe-
rator & c. Illustrissimum Dn. Dn. Gabrielem Comitem ab Or-
tenburg & c. multis modis praeclarissime & optimè meritum,
eiusq; heredes ex eo legitime descendentes masculini sexus in
perpetuum ad honores ac dignitates Comitum Palatinarum
clementissime admisit euexit, ac prater alia per quam pluri-
ma, eaq; summa & amplissima Indulta dona & privilegia,
motu proprio, ex certâ scientiâ, animo bene deliberato sanog;
Electorum, Principum, Comitum, Baronum ac alio-
rum sacr. Cas. Majestatis & sanct. Rom. Imp. fidelium acceden-
te consilio, & de Casare & potestatis plenitudine, Nobilissimo hoc-
ce Casare & libertatis & munificentia dono, specialiter exor-
navit & profecutus est, concedendo & largiendo ipsi universisq;
& singulis ejus legitime descendētibus masculini sexus imperpe-
tuum plenariam potestatem, auctoritatem & facultatem,
Quod possint & valeant vice nomine & auctoritate Sacre
Cas. Majest. & sacri Rom. Imperij Divorumq; successorum legi-
time imperium intrantium, in toto Orbe Romano adeoq; ubili-
bet locorum atq; terrarum, Viris honestis claris & bene meritis
siquos idoneos habiles atq; dignos judicarint, Comitum am Sacri
Palatii Licentiam & dignitatem concedere, eos sacri Latera-
nenfis Palatii, aulae Casaree ac Imperialis consistorii comites fa-
cere, creare, pronunciare, declarare atq; erigere: Comitatus
Palatini titulo insignire, iisq; prater cetera alia eaq; universa
& singula privilegia, gratias, immunitates, honores, exemptio-
nes & libertates huic dignitati consuetudine vel de Jure con-
venientes, plenariam potestatem, facultatem & auctoritatem
impertiri, dare & concedere & c. Haecenus ille. Hâc igitur
in re præcisè inhærendum concessioni, & quid Juris ac
potesta-

potestatis Comiti Palatino competat, privilegii tenor
diligenter inspiciendus *arg. l. diligenter 5. D. Mandati Carp-*
zov. d. l. n. 8. Nec temerè credendum Comiti Palatino
de privilegiis suis multa jactitanti, testem nisi habeat
diploma Cæsareum *Henricus à Stabenau & Woldenberg*
d. disp. th. 10. Mascard. de probat. concl. 324. Vult. ad d. § fin. n. 9.
Omnis enim eorum potestas ex tenore privilegii dependet
ac aestimatur *c. porro. 7. X. de Privil. & venditans se pro Co-*
mite Palatino ejusq; potestatem exercens poenâ mortis pu-
nitur, quia delinquit in ipsum Principem à quo autorita-
tem se habere fingit arg. l. 1. C. de Privatis Carcerib. inbib. Me-
noch. de Arbitr. Jud. c. 320 n. 8.

Th. 20. Jurisdictio an competat Comiti Palatio-
no, hic non in convenienter quaritur, Ad quod tamen
negativè respondemus. Jurisdictionem enim si habe-
ret, aut propria illa esset, aut mandata, aut delegata. Pro-
prium non habet quia magistratus non est, hæc enim
Jure magistratus competit. Quod autem non sit ma-
gistrus exinde liquet, quia definitio magistratus, Quod
nimirum fit persona publica Jurisdictioni præfecta, *Su-*
tholt. dissert. de Jurisdic. aph. 204. ipsi ne utique potest ap-
plicari. Licet autem actus illos Jurisdictionis volun-
tariæ expedire quis apud ipsum possit non tamen æque
illos quæ sunt contentiosæ, & nunquam est magistratus
qui destitutus sit Jurisdictione contentiosâ. Adde quod
hæc legis actiones, (quibus tamen legitimationem neuti-
quam accensemus) Majoribus tantum magistratibus
Jure magistratus competant, quos tamen Jurisdictio
contentiosa semper comitatur, minoribus vero haud
aliter, nisi potestas summa nominatim concesserit *Su-*
tholt. d. l. aph. 163. 169. Ex quo patescit quod voluntaria ut
dici-

dicitur Jurisdictio, magis sit Imperii quā jurisdictionis,
hoc est, majorem magistratus autoritatē desiderat. Ad
majorē ergo magistratū referre non potest, quia contentio-
sam jurisdictionem non habet, neque ad minorem, quia ipsi
tribuuntur illa quæ minor magistratus facere non potest
l. ea que 26. D. ad Municipalem & de Incolis. Ad mandatā quod
attinet jurisdictionem, nec hæc ipsi concedēda, cum ab e-
jusmodi personā mandata esset, quæ ipsa jurisdictionem
non haberet. Imperator enim magistratus non est, sed su-
per omnes magistratus, qui cum sint instrumentum sum-
mæ potestatis, per absurdum foret dicere aliquem sui ipsi-
us instrumentum esse posse *Sutholt d. l. aph. 182.* Imperator
ergo jurisdictionem non mandat, sed tribuit propriam
Suth. d. l. aph. 349. Non obstante quod illud quod quis non
habeat in alium nequeat transferre; Respondetur siqui-
dem, Formaliter penes solum magistratum residet juris-
dictio, fundamentaliter vero, radicaliter & virtualiter
penes supremam Majestatem *Suth. d. l. aph. 187.* Insuper
nec habet Imperium quod non est merum, quod tamen
mandatā jurisdictione transire testatur *Jctus Paulus in l.*
mandatam 3. D. de officio ejus cui mandata est Jurisd. Ut
autem delegatæ jurisdictioni locus non sit ideo move-
mur, cum hæc ad certos tantum & speciales actus duret
iisque finitis expiret, Comitum autem Palatini potestas,
quandocumque copia sit exercendi, impediri non potest,
nec finito uno aliquo actue esse desinit sed ulterius se extē-
dit. Concludimus itaque potestatem hanc ex solo privilegio
competere ab Imperatore concessa, nec est ut dicamus,
habere illos jurisdictionem voluntariam vi privilegii, ut
enim paulo ante dictum est, jurisdictionem non privilegii,
sed magistratus jure comperit. Siquidem hac in parte
C libe-

liberū summæ potestati putamus, ut ex iis quæ jure magistratus alias competunt, eximere quid possit & specialiter tribuere, ut porro non cuiq; magistratui competat, sed ei soli cui concessum specialiter. *Sublt. aph. 141. d. l.*

Th. 21. Ne vero dum in horum Privilegiis occupati sumus à scopo magis abeamus, ad propositam legitimationis speciem revertimur, quæ, ut recte perficiatur, requiritur Primo: Ut matrem eorum liberorum nequeat connubio sibi jungere pater, vel ob mortem, vel absentiam mulieris, vel ejus turpitudinem, quia se aliis commiscuit; si enim per subsequens matrimonium potest legitimare, hic legitimationis modus qui in subsidium introductus est *Schneidw. ad tit 7. de PP. n. 17.* & extraordinarium remedium dicitur, non subsistit *Schultz. in Synops. Jur. Feud. c. 8. n. 76.* Secundo: Ut alios liberos legitimos non habeat *N. 89. c. 9.* Extantibus enim filiis legitimis, legitimatio in ipsorum præjudicium facta non valet. Alios tamen contra statuere tradit *Schultz d. l. in tantum ut si velit Imperator liberos possit legitimare his requisitis non attentis, modo pater mentionem etiam fecerit liberorum legitimorum Sets. disp. 5. th. 6. l. tit. a.*

Th. 22. Consanguineorum consensus an necessarius sit quæritur? Nos distinctione rem dilucidabimus. Aut enim legitimatio fit vivo patre, aut post mortem ipsius. Priori casu consensum consanguineorum excludimus, non enim in ipsorum præjudicium tendit, qui nullum habent jus quæsitum in bonis paternis, cum viventis nulla sit hereditas *l. si hereditas 1 D. de Hered. vel action. vend.* Posteriori casu legitimatio tanquam subreptia non valebit ex generali illâ ratione, quod princeps in dubio non intelligatur voluisse derogare juri alterius. ideoq;

ideoq; hoc privilegium sine præjudicio tertiū intelligendum est *c. super eo. 15. X. de officio & potest. Jud. deleg. l. prætor. 2. §. merito 10. D. Ne quid. in loc. publ. Sets. disp. 5. litt. a.* Post mortem enim patris jus successionis jam quæsitum habent consanguinei, sive in omnibus sive in bonorum parte & hac ratione legitimationis commento fraus ipsis fieret *l. si ita quis 51. §. 1. D. de Legat. 2. l. fideicommissorum 76. D. de Condition. & Demonstrat. Carpzov. p. 2. c. 6. d. 27.* Ideoq; non aliter firma erit nisi ij quorum jus hoc modo minuitur, consenserint *l. in concedendo 8. D. de Aqua & aqua plu. arcend. l. 2. 4. 5. D. de Natal. restituend.* Quod tamen ita intellectum volumus, ut saltem revocetur legitimatio quoad successionem sive quoad bona, non quo ad statum personæ: Licet enim successionem amittant, legitimationem tamen sanctam tectam conservant, *Jacob. Schultes. in Loc. communib. Juris Pont. Cas. & Sax. tit. de legitim. l. n. 5.*

Th. 23. Hanc autem legitimationem Comiti Palatino aliis in terris exercere liberum haud est, præterquam imperii, nec indifferenter in quosvis homines aut alterius cujuspiam principis, qui civis sub Imperatore non est, unde nec extra imperium natum spurium aut peregrinum in ipsius imperii terris legitimare posse testatur *Carpzov. ad Leg. Reg. Germ. c. 10. sect. 10. n. 9.* inter alia allegans *c. venerabilem X. qui filij sint legit. & Honded. cons. 64. n. 24.* ita scribentem *Imperatorem hodie non posse in Italiâ ditionis quæ est Pontificia, subditum Pontificis restituere natalibus sine Pontificis consensu* Rationem ipse addit hanc: *Deficiente enim superioris consensu & ratione territorij, & ratione subjectæ, personæ irritus erit omnis conatus.* Hæc ratione Joh. Navaritus Comes Palatinus cum autoritate



Pontificis Notarios quosdam creasset, alios vero natalibus restituisset, in Galliis Majestatis fuit damnatus à curià Tholosanà *Carpz. d. l.* & licet vel maxime sit subditus alicujus etiam immediatè ab ipso imperatore infeudati; tamen non valet nisi intervenerit consensus ipsius infeudati, *Jacob Schultes in loc. commun. tit. de legitim. n. 4.* Ubi etiam legitimationem, à Comite Palatino auctoritatem habente ab Imperatore, Mediolani factam non valuisse refert, non enim intervenerat consensus Ducis Mediolanensis necessarius, licet Dux ab eodem Imperatore infeudatus fuisset.

Th. 24. Legitimatione hoc modo peractâ legitimatedi generaliter & absolutè habilitantur, Natalibus & ingenuitati antiquæ plenè restituuntur, nihil differentes à filiis legitimis, *N. 89. c. 9. N 74. c. 2.* Ut immunitatem etiam faciant patrem ab oneribus obnumerum liberorum *Schultes d. l. n. 2.*

Th. 25. An vero Comes Palatinus suam æquè naturalem ac alienum natalibus restituere possit, non adeo inelegans est quæstio, Nos hoc negamus vide *Heinricum à Stabenau & Woldenberg disp. 2. th. 20.*

Th. 26. Vigore hujus legitimationis digni censendi sunt, qui recipiantur in consortium civium aut opificum, non minus ac legitimatedi per subsequens matrimonium, & licet debiliior sit hic modus illo, qui fit per matrimonium subsequens, uterq; tamen efficit, ut legitimatedi ad omnes successiones gradus & honores capesendos, perinde ac si de legitimo matrimonio natus esset, habilis fiat *Carpzov. p. 2. const. 6. def. 16.* Si enim Imperator quifonsest ònis dignitatis, & in quo omnes thesauri dignitatum reconditi sunt *Carpzov. ad Leg. Reg. c. 10. § 10. n. 14.* *Schultz. in Synops. J. F. c. 7. n. 70.* omnem illegitimæ nati-
tis ma-

ratis maculam abstulit penitusq; removit quo mintis ob-
staculo ipsis sit, quod luce meridianâ clarius patescit ex
verbis rescripto insertis, quæ habet *Volkmann. p. 4. c. 61*
Sie sollen alle wege in Ewigkeit / zu allen Ehrlichen Rechten
Bürgerrechten / Versamlungen / zu allen Handwercken /
und zu allen und ieden andern dergleichen oder ungleichen /
mehrern oder mindern sachen und Handlungen angenom-
men und zu gelassen werden / und deroselben auch alle und ieg-
licher Gnaden / Freiheit / Ehre Würde / Vortheil und Berech-
tigkeit und guter gewohnheit / mit hohen und niedrigen / Geist-
lichen und Weltlichen / Ämtern an zunehmen / zu empfa-
hen / zu tragen und zu haben / und dessen alles theilhaftig /
würdig / empfänglich und darzu tauglich / geschick
und gut sein / in Geistlichen und Weltlichen Stän-
den Sachen und Handlungen / und sich dessen alles freuen ge-
brauchen und genießen sollen und mögen / als weren sie von
rechten ehlichen Stande / Vater und Mutter empfangen und
gebohren / denen die unehliche Geburt keines weges für ge-
worffen werden soll. &c. Quare & nos qui inferiores pau-
lulum Imperatore sumus exprobare ipsis volumus,
consultoq; sacrilegii crimen incidere? *l. sacrilegij s. C. de*
Diversis Rescript. Id quod frequentissimum apud Opi-
fices, quibus existimationis suæ vindices solertiores alios
vix reperies, existimantes ex consortio eorum, quos
maculâ notatos falsò fingunt, labem sibi aliquam attra-
hi, ac propterea receptionem in collegium suum ipsis
denegantes. Sed quid mirum in legitimatis, cum & a-
liis legitime natis, utpote filiis Opilionum, Linteo-
num, Balneatorum, Molitorum, Tibicinum, aliorumq;
quos indignos suo consortio judicant, sæpenumero in-
sultent? *Carpzov. lib. 6. Resp. 99. 2. Decis. 192.* hic tamen mos

inRecessibusImperii abrogatus de anno 1548. in der. Refor-
mation guter Policen sub Rubr. von Handwercks Söhnen
Gesellen und Lehrknaben. Sed de his plura differere cum
propositum nostrum non sit, merito superfedemus.

Th. 27. Dictum præcedente thesi legitimatum
Principis rescripto successionis etiam esse capacem,
quod an in feudis etiam pro legitimè natis concessis obti-
neat, non immerito in dubium à non nullis vocatur. Nos
regulariter negamus per textum expressum *in c. un. v.
natales 2. f. 26.* In quo fere *comm. F. F. Schol.* consentit. Jus
enim quælitum quod agnati simultanei investiti jam
habent, ipsis auferretur, quibus per hanc legitimatio-
nem iniqua conditio adjiceretur, id quod fieri non de-
bere tradit *Jctus Papinianus in l. non debet 74. D. de R. J. We-
sembec. de Feud. c. 6. n. 11.* Si tamen ad feuda expressè legiti-
mati sint, aut eorum quorum inter est, aut jus jam quæ-
litum spe habentium consensus accesserit, successio ipsis
denegata non est *Rüdinger lib. 1. Method. J. F. c. 16 n. 2 6. Dn.
D. Suevus Jctus & Antecessor in nostrà Leucore à celeberrimus,
Præceptor & Patronus meus æviternum de venerandus, in Sy-
nops. Jur. Feud. c. 8. § 7. & disp. feud. 6th. 9.* cum liberum sit
agnatis Juri pro se introducto renunciare *l. si quis 5. C. de
Episcop. & Cleric.* Semper enim requiritur specialis clausu-
la legitimandi ad feuda tam in privilegio concessionis,
quàm Instrumento legitimatiõis, alioquin tales legiti-
mati non sũt successibiles nisi in allodialibus *Myns. C. V.
O. 42 vide supra citatum diploma Comitæ Gabrielis an Or-
tenburg. apud Volkmann.*

Th. 28. Hæc igitur quæ in specie ad cujusq; legi-
timationis modum pertinent dicta sunt, nunc & ad ge-
neralia nos convertimus. Gneraliter autem in omni-
bus qui

qui per prædictos modos deducuntur ad legitimum Jus, tunc hoc volumus obtinere, dum & filii hoc ratum habuerint; Nam si solvere jus patriæ potestatis invitis filiis non permissum est patribus, multo magis per potestatem redigere invitum filium & nolentem, sive per oblationem ad Curiam, sive per Instrumentorum celebrationem, sive per aliam quamlibet machinationem, tanquam sortem metuentem paternam, Justum non est: neq; imperii & legislatoris ponimus proprium; verba sunt Imperatoris *in pr. c. 11. N. 89.* ad quæ videri potest *Gothofredus in Notis* cui congruunt verba *Modestini in l. inviti 11. D. de His qui sui vel alieni Juris.* In quibus quid de consensu liberorum legitimandorum statuendum sit, expressè deciditur.

Th. 29. Idcirco infantes aut furiosos cum consentire non possint, quia nullum habent intellectum §. *pupillus 9. I. de Inut. Stipul.* legitimandi potestas Imperatori solum competit, & non comitibus Palatinis, nisi specialiter hoc illis fuerit concessum per *l. 5. C. de Emancip. lib.* ubi Dd. quod de Emancipatione dictum fuit, ad legitimationem transferunt: Volunt enim ab emancipatione ad Legitimationem valere argumentum, inquit *Gothofredus in notis litt. g. allegans Rol. à V al 1. consil. 61. n. 4.* *Jacobus Schultes in Loc. Comm. tit. de Comite Palatino n. 2.* Legitimandi autem per subsequens matrimonium, si ejus ætatis sint ut consensum exprimere non valeant, postea id ratum habentes legitimantur *Trent. vol. 1. disp. 2. tb. 6.*

Th. 30. Effectus legitimationis est patria potestas, quod aperte probat §. *fin. I. de Nupt. Sutholt. disp. 2. aph. 7.* ubi legitimatis omnes illi patriæ potestatis effectus competunt, quos vid. apud *schneidv. I. tit. d. PP.* Et hujus vigore patri etiam succedunt ab Intestato §. *sui autem 2. I. d. Hereditat. quæ ab intest. deferunt.* quod jus suitatis; cæterisq;
agna-

ris l.10. C. de Natural. Liber. Carpz. p.2.c.6. def.16.n.4. Dn. Isaac.
Leikerus disp. in augur. th.11. litt. b. quod jus agnationis di-
cunt dD. in quo tamen legitimated per oblationem curiæ
à ceteris differunt, quod jus saltem iustitatis habeant non
agnationis N. 89 4.

Th. 31 Hoc itaq; de tribus præcipuis legitimandi
di modis dictum esto. Restarent quidem & alii, utpote
per Testamentum, de qua Nov. 74. c. 2. & Nov. 89. c. 10. No-
minationem patris, Nov. 117. c. 2 Adoptionem l. jubemus
6. C. de Natur. Lib. Quia vero modus per testamentum à
rescripto Principis modum non diversum habet, Sutholt
dissert. 2. aph. 67. Nominatio quoq; patris non per se legi-
timatio, sed præsumptio magis aut probatio matronij
schultz. synop. Inst. d. PP. lit. i. sutholt. d. l. per Adoptionem
autem legitimatio sublata est in l. 7. C. de Nat. Lib. Nov. 74.
c. 3. Nov. 89. c. 7. Idcirco operæ pretium haud esse duco,
plura de ipsis addere. Si quæ minus accurata aut lectoris
Judicio digna prolata sunt, id mediocri ingenio adscri-
bat. Reliqua quæ de prolixâ hac materia, tractari po-
tuissent, doctioribus lubentes relinquimus.


Unicam adhuc quæstionem placeat
addere loco

COROLLARIUM;

Si matrimonium contractum fuisse probari ne-
queat, an nihilominus respectu liberorum &
successionis eorum præsumenda sit legitima-
tio, & utrum ipsi liberi legitimationem suam,
an vero Actor contra illegitimitatem probare
debeat? R. Actor, illegitimitatem.









DA A 6620

ULB Halle 3
002 937 557



DA 17





imum faxit

JURIDICA

MATI.

NE

*gnifici Amplissimiq; Collegij
tri Leucorea*

SIDE

onsultissimo & Excellentissimo

O. COSELIO

P.P. Celeberrimo, Curiaē

atis Juridicæ Asefsoregravis-

ili, Præceptore atq; Patro-

ni cultu devenerando

itioni subjicit

RMEX Budissinus

atus,

Decembr.

o Jctorum

meridianis.

BERGÆ

HNERI Acad. Typogr.

1653.

